



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Blasphemiae Et Impietates Seditiosaq[ue] dogmata
Ioannis Meynertzhagen pseudo ecclesiastæ apud
Bonnam, ex libello que[m] inscripsit, Des Euangelischen
Bürgers Handtbüchlin. Hoc est, Enchiridion ...**

Erzdiözese Köln

[Köln], [1544]

VD16 K 1773

In Sanctos Cvm Deo Regnantes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34979

BLASPHEMIAE ET IMPIETATES

Seditiosaq; dogmata Ioannis Meynerzhagen pseudo ecclesiae
stae apud Bonnam, ex libello quē inscripsit, Des Euangeli-
schen Bürgers Handtbüchlin. Hoc est, Enchiridion
Christiani Ciuis, excerptae.

IN SCRIPTVRAM CANONICAM.

Refecat a Canone Ecclesiastico diuinarū scripturarum, quinetiam
Apocriphos facit secundum & tertium libros Esdrae, Thobiam,
Iudith, Baruch, Sapientiam Salomonis, Ecclesiasticum, tres libros Ma-
chabæorum, Historiam Susannæ, & Belis apud Danielem. Lib. primo,
folio sexto, facie prima. Contra determinationem Concilij Carthagi-
nen. tertij. quam sequitur tota Catholica Ecclesia.

IN VIRGINEM MATREM.

Non alium honorem Virgini matri impendendum esse, q̄ rememora-
tionis donorum ei diuinitus collatorum, & imitationis. Alioqui facere
nos ex ea falsam Deam. Quod & publice fieri (suo more) deplorat. si-
gnificās idololatricū esse p̄cari eam ut nos apud deū iuuet. fol. 111. f. 1.

IN ANGELOS.

Choros Angelorum primum esse confictos per Dionysium Areopa-
gitam, & postea auctos per Theologos. libro. 2. folio. 129.

IN SANCTOS CVM DEO REGNANTES.

Quod Sanctis inique seu perperā tribuamus habere eos merita apud
Deum. lib. 2. fol. 53. fac. 2. Quod eorum ope non indigeamus, quamli-
bet simus oppleti sceleribus. ibidem. Et qui secus hactenus docuerunt,
eos fuisse falsos Prophetas. eodem lib. fol. 54. fa. 1. Facit hanc conse-
quentiam: Si Christus daemones precantes ut mitterētur in porcos ex-
audiuit, ergo multo magis exaudit scelerosos. eodem fol. fa. 2.

Miracula Sāctorū esse mendaces & cōfictas fabulas; & inania somnia.
eodē li. fo. 54. fa. 2. Ridet quoq; Sctōrum uitas & miracula. fo. 77. fa. 1.
Neminem unquam (qui mō pius fuerit) interpellasse aliquē Sāctorū
ut apud Deū pro se intercederet. ibidem & eodem libro, fol. 54. fac. 2.

IN CHRISTI ET SANCTORVM IMAGINES.

Nullum honorem ulli imagini exhibendum. Ad quod detorquet oēs
scripturas, quæ uetant adorari idola dæmoniorum. lib. 1. fol. 55. fac. 2.
Pertinere ad officia cuiuscunq; Magistratus tales abusus (sic enim ap-
pellat imaginum usum) e medio tollere. eodem libro. fol. 26. fac. 2.

Afferit ueram & indubitātā idololatriam esse cum aliquis honor ima-
gini impenditur. lib. 2. fol. 21. facie 2.

Ex hac doctrina sequuta est demolitio imaginum Crucifixi Domini,
apud Linzium, Kempen &c.